

46 • eius socero pro pacifica, restitutione Bononiæ et aliorum locorum S. R. E. occupatorum ut decet christianum et optimum ac pium regem, agente pro eo apud præfatum S. D. N. reverendissimo domino Cristoforo Eboracensi cardinali Angliæ, qui de omnibus præmissis optime et particulariter instructus mandatum concludendi dictam confœderationem in dies expectat, sed quia pro locorum distantia et non tutum transitum tabelariorum adhuc habere non potuit, et conclusio dicti fœderis minus differri possit cum damno et periculo rerum S. R. E., ideo visum est Sanctissimo Domino nostro et reliquis confœderatis non ulterius expectare mandatum præfati serenissimi regis Angliæ, cum eius optima et sanctissima intentio et mens satis perspecta et cognita sit eius Sanctitati et cœteris confœderatis, sed interim concludere et exequi ea quæ ad rem tam sanctam tamque honestam, necessariam et piam concludenda sunt et exequenda, quæ ut supra continentur, tractata, inita et conclusa fuerunt, reservato tamen præcipuo honorificentissimo majestati suæ loco, confœderationem et ligam huiusmodi ingrediendi.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, die 4 Octobris 1511, pontificatus nostri anno octavo.

Subscriptio capitolorum talis est.

Ita ut supra et nomine quo supra me obligo et promitto

ego HIERONYMUS DE VICH, *orator*
manu propria.

Ita ut supra et nomine quo supra me obligo et promitto

ego HIERONYMUS DONATUS, *orator*
manu propria.

(Exacta cum originali).

Die 9 Octobris lectis capitalis in concistorio secreto exponente Sanctissimo Domino nostro, quod si contingeret Sanctitatem Suam ab hac luce migrare, equum est . . . præmissa . . . regem Catholicum et dominium Venetorum observatura pro defensione status et libertatis S. R. E. ac libera creatione futuri pontificis saltem usque ad creationem huiusmodi, stipulantibus notariis cameræ et testibus præsentibus, Collegium reverendissimorum dominorum cardinalium ac oratores prædicti promiserunt, in eventum huiusmodi quod Deus abvertat, observare.

*Exemplum brevis Julii II pontificis maximi 47
ad Dominium Venetiarum.*

JULIUS PAPA II.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum inter cœtera capitula confœderationis nuper inita inter nos et carissimum in Christo filium nostrum Ferdinandum Aragonum et universæ Sicilie regem Catholicum ac tuam nobilitatem conventum expressumque sit, quod si quis rex, princeps vel potentatus, populus aut quisvis alius se opponet huiusmodi ligæ et fœderi quominus Nos Bononiam eiusque comitatum et districtum ac alias civitates, urbes arces oppida, et loca ad sacrosanctam Romanam Ecclesiam mediate vel immediate pertinentia et spectantia, a quocumque et quovis modo ut præferatur occupatas et occupata, recuperare non possimus, tunc et eo casu confœderati omnes contra talem se opponentem et resistentem teneantur et debeant ac sint astricti jure ligæ et huiusmodi fœderis, omni conatu et aperto bello, procedere ad capiendum talis se opponentis civitates, terras, arces et loca ac statum et dominia quæ in Italia habet, et quod si talis sic se opponens occupet vel detineat aliquas civitates, terras arces, oppida et loca quæ ad aliquem confœderatorum pertineant et spectent, liceat ipsi confœderato illa si recuperata fuerint licite tenere et possidere et super hoc stetur declarationi nostræ, tenore præsentium, ex nomine prout ex tunc et ex nunc prout ex nomine, omni meliori via et modo quibus possumus, declaramus et determinamus omnes civitates, terras, arces, oppida, castra et loca et quæcumque territoria quæ ante proximum bellum Gallicum possidebas, ad te pertinere et in eventum executionis dicti capituli tanquam ad te pertinentia tibi debere restitui, sive ea sponte in tuam deditionem revertantur, sive quovis modo de manibus hostium et Sanctæ Romanæ Ecclesiæ rebellium recuperabuntur.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, sub anno 47 •
nulo piscatoris, die quarta Octobris 1511, pontificatus nostri, anno octavo.

A tergo: Dilecto filio, nobili viro Leonardo Laudredano, duci Venetiarum.

A di 13, da poi disnar fo Pregadi, et leto li capitoli di Roma tutti, et molte lettere, il sumario ho serito di sopra, et di la vitoria auta per nostri di Noal, 48 •
e una lettera di domino Meleagro da Forli da Campo